

Quam maxime periculosa est istiusmodi conscientia, ut attendenti facile patet, proindeque animas iniicit in *viam latam, quae ducit ad perditionem*.

Tripliciter distingui potest, scilicet 1<sup>o</sup> conscientia *laxa simpliciter* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam; 2<sup>o</sup> conscientia *cauteriata*, quae ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit (1); 3<sup>o</sup> conscientia *pharisaica*, quae magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex Phariseis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones praetereundo, se magni peccati reos existimassent.

50. — Quae ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complecti licet.

I. Graviter ille peccat, qui scienter laxae conscientiae obsequens, legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane huiusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest: ergo ipsius ignorantiae praetextu a peccato letali excusari nequit.

II. Imo graviter etiam in re levi peccare potest, si sua illum temeritas ad agendum, quovis dictamine praetermisso et contempto, impellat. Confer quae diximus supra de conscientia dubia. Quae. 1. n. 43.

QUAER. *Quaenam sint conscientiae laxae causae, effectus et remedia?*

*Resp. ad primum.* Causae sunt omissio orationis, animi tepor, sollicitudo nimia temporalium, atque peccandi consuetudo, quae peccati horrorem tollit, familiaritas cum hominibus vitiosis, vita mollis, quae cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

*Resp. ad secundum.* Effectus sunt caecitas mentis, durities cordis, quod vix ullis mediis moveri solet, obduratio in malo quae summum salutis periculum inducit, iuxta illud Apost. Rom. 2. 5.: *Secundum duritiam tuam, et impenitentem cor, thesaurizas tibi iram in die irae.*

*Resp. ad tertium.* Remedia sequentia inter alia proponi possunt: humilis et assidua oratio; sacra exercitia; pia novissimorum meditatio iuxta illud Eccli. 7. 40.: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*; frequens piorum librorum lectio; quotidiana conscientiae discussio; recursus frequens ad Poenitentiae sacramentum; malorum fuga, et conversatio cum bonis.

(1) Hoc ex reprobo quoque sensu contingit, ad quem homines eiusmodi, obcaecatum cor habentes, deveniunt.

## CAPUT IV.

## DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBILI.

De tribus agendum est, scilicet 1<sup>o</sup> de natura, 2<sup>o</sup> de efficacia, 3<sup>o</sup> de usu probabilitatis.

## ARTICULUS I. — DE NATURA PROBABILITATIS.

51. — *Opinio* in genere est assensus in alterutrum cum formidine oppositi; seu est adhaesio alterutri e duobus contradictoriis cum formidine alterius.

*Opinio* vero *probabilis*, seu *sententia probabilis*, est iudicium nitens motivo gravi, licet cum formidine de opposito. — *Opinio* vero *improbabilis* est iudicium, quod motivo solido destituitur.

52. — *Divisio probabilitatis.* Distinguitur probabilitas.

1<sup>o</sup> *Intrinseca*, vel *extrinseca*, prout vel rationibus ex natura rei deductis, vel auctoritati innititur (1). Utraque maior, vel minor esse potest.

2<sup>o</sup> *Iuris*, vel *facti*, prout circa iuris existentiam, eiusve applicationem, vel circa aliquod factum versatur.

3<sup>o</sup> *Speculativa*, vel *practica*, prout rem in genere, abstrahendo a circumstantiis, vel actum proxime ponendum respicit (2).

4<sup>o</sup> *Absoluta*, vel *relativa*, prout talis apparet omnibus vel plerisque, aut uni tantum vel paucis.

5<sup>o</sup> *Solitaria*, vel *comparativa*, prout talis apparet in se sola spectata, vel comparatione instituta cum contradictoriae propositionis fundamentis (3).

6<sup>o</sup> *Certa*, vel *dubia* aut *tenuis*, prout innititur motivis vel certo, vel dubie tantum solidis.

Probabilitas *comparativa* dividitur per gradus in triplicem, scilicet 1<sup>o</sup> in *probabilitatem maiorem*, 2<sup>o</sup> *minorem*, 3<sup>o</sup> *aequalem*. Quaevis enim propositio potest esse probabilior, vel aequae, vel minus probabilis, quam

(1) Probabilitas *extrinseca intrinsecam* supponit; eatenus nempe DD. auctoritas vim habet, quatenus censi possit aut debeat, eos ad aliquam sententiam tenendam permotos gravi quapiam ratione fuisse. Quocirca si forte deprehendas, illos debili aut etiam prorsus falso fundamento innixos aliquid asseruisse, eorum auctoritas nihil sane momenti assertis addit.

(2) *Speculativam* vel *practicam* forte clarius dixeris opinionem aut sententiam, prout ad dirigendam actionem, quae hic et nunc reapse poni debet, ordinatur aut non ordinatur.

(3) Communius DD. *absolutam* appellant, quam A. dicit *solitariam*; alteram vero *relativam* solent vocare.

opposita, prout nititur motivis solidioribus, vel aequae, vel minus solidis. — Opinio autem probabilior et ipsa varios gradus admittit: est enim paulo vel notabiliter probabilior, prout eius motiva paulo vel notabiliter graviora sunt prae motivis oppositae. *Probabilissima* etiam dicitur, si gravissimo motivo gaudeat. Probabilissima est, ait S. Lig. n. 40., *quae nititur fundamento gravissimo: quapropter opposita censetur TENUITER, vel DUBIE probabilis.*

Insuper opinio est *tuta*, vel *tutior*, vel *minus tuta*, prout simpliciter favet legi, vel eidem plus, minusve favet. Opinio igitur probabilior non est semper tutior, siquidem probabilitas maior etiam pro libertate stare potest.

*Varia systemata circa probabilitatem.*

§3. — 1<sup>o</sup> *Tutiorismus absolutus*, seu *Rigorismus*, iuxta quem pars tutior, id est legi favens, semper sequenda est (4).

2<sup>o</sup> *Tutiorismus mitigatus*, iuxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem.

3<sup>o</sup> *Probabiliorismus*, iuxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior (5).

4<sup>o</sup> *Aequiprobabilismus*, iuxta quem licitum non est sequi opinionem minus tutam, nisi sit aequae probabilis ac opposita, vel fere aequae probabilis (6).

5<sup>o</sup> *Probabilismus*, iuxta quem licet sequi opinionem minus tutam et minus quoque probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat.

6<sup>o</sup> *Laxismus*, ex quo semper fas est sequi opiniones etiam tenuiter probabiles; sed hoc quoque systema fuit damnatum, ut infra patebit.

Hinc pro variis circa valorem probabilitatis opinionibus theologi varia sortiti sunt nomina, ut vel Rigoristae vocentur, vel Tutioristae mitigati, — Probabilioristae, — Aequiprobabilistae, — Probabilistae, — Laxistae.

§4. **Concludes ex dictis.** — 1<sup>o</sup> Probabilitas ex natura sua neces-

(4) Sequendam nimirum tutiorem hi statuunt, nisi certo constet, nihil legi contra libertatem favere: unde iuxta istos non licet agere iuxta *probabilissimam* faventem libertati. Haec doctrina damnata est in III ex XXXI Propositionibus ab Alex. VIII proscriptis.

(5) Cum iuxta S. Alphonsum propositio *notabiliter* probabilior contra se habeat dumtaxat *tenuiter* vel *dubie* probabilem,

haec potius describitur *tutiorismus mitigatus*.

(6) Auctorem huius systematis quidam dixerunt S. Alphonsum de Ligorio. At non ita intelligi id debet nec potest, quasi a communi systemate probabilismi, quod et ipse acerrime defendit, aliquando vir sanctus recesserit. Vide *Dissert. de moral. system. S. Alphonsi* in fine primi voluminis *operis Theol. Moralis*.

sario requirit, ut certitudinem etiam dumtaxat moralem excludat; per hoc enim solum a certitudine discrepare potest (7).

2<sup>o</sup> Hinc omnis probabilitas quantacumque fuerit, adveniente certitudine propositionis contradictoriae, omnino perimitur.

3<sup>o</sup> Certo probabilis habenda est opinio, quae, tolerante Ecclesia, communis est theologorum (8), vel docetur a S. Thoma eiusque schola, vel a plerisque theologis ut probabilis asseritur; vel etiam quam absolute tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, iudicio et scientia praestantes, nisi ratio certa contra istam opinionem appareat.

4<sup>o</sup> Illa opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit, se diligenter excussisse, et experitur se absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram aut certe probabilem (9) deprehendere.

5<sup>o</sup> De intrinseca probabilitate iuris communiter possunt iudicare soli doctissimi, et in re morali versatissimi, cum soli possint scire, nihil certi ipsis opponi.

6<sup>o</sup> Vir mediocriter doctus iudicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si statum quaestionis rite intelligens hanc inveniat assertam ab auctoribus omni exceptione maioribus, id est inter theologos omnino probatis.

7<sup>o</sup> Unicus auctor, si sit omni exceptione maior, afferatque rationem, quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis haec sit communi opinioni adversa.

8<sup>o</sup> Homo rudis audiens a viro, quem ipse existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere: non enim per se rem expendere valet, nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi... — La-croix..., etc.

ARTICULUS II.

DE EFFICACIA PROBABILITATIS AD CONSCIENTIAM EFFORMANDAM.

§5. — Efficacia *probabilitatis* sita est in ipsius vi ad ultimum conscientiae dictamen practice certum efformandum. Verum ex iis quae asseruimus n. 39., sola conscientia certa est recta morum regula. Quo igitur

(7) Probabilitas componi simul cum certitudine non potest, tum quia a certitudine longe distat, tum quia probabilitas, quae contra se habeat certitudinem, penitus evanescit.

(8) Quando pro quapiam doctrina stat communis Theologorum sententia, eius-

modi habemus probabilitatem, ut (nisi plane gravis et nemini observata ratio aut auctoritas perspicua obstet) ipsi refragari temerarium sit. Vid. Canus, *De loc. Theol.* lib. 8. cap. 4.

(9) Necessse scilicet non est, ut maneat absque formidine de opposito.

modo fieri potest, ut ex maiori etiam probabilitate liceat interdum agere? Id sane vi solius probabilitatis non licet. Ergo ad principium aliquod moraliter certum confugiendum est, ut certitudo habeatur. Itaque disserendum nunc venit, quid in hunc finem valeat probabilitas; utrum scilicet aliquando solidis rationibus, tum legi, tum libertati faventibus, ab ipso legis vinculo liberos nos censere possimus.

Has quaestiones ut discutiamus resolvamusque, sequentes statuimus theses.

## PRIMA THESIS

*Non licet sequi opinionem probabilem, nec probabilioem, relicta tutiore, quoties adest obligatio absoluta alicuius finis determinati obtinendi, quem usus medii probabiliter inepti in periculum adduceret; tunc igitur pars tutior est sequenda.*

56. — *Prob.* Quisquis finem absolute et certius obtinere adigitur, is ea tenetur eligere media, quibus finem certe sit assecuturus. Atqui per solam tutiorem partem certo obtineri potest finis: ex hypothese enim medium, probabiliter tantum aptum, in discrimen adducit finem, quem absolute consequi teneor. Ergo non licet uti medio tantum probabiliter apto, sed aptiora media eademque tutiora eligenda sunt (1). Igitur pars tutior sequenda est.

57. *Hinc resolves.* — 1<sup>o</sup> In his, quae salutem necessaria sunt necessitate medii, tutius sectari teneris; gravissima enim quemque urget obligatio aeternam animae suae salutem certo curandi; proinde media absolute tuta et certa sunt adhibenda (2). In rebus igitur ad Fidem seu ad veram Religionem pertinentibus, opposita probabilitate posthabita, opinio tutior necessario sequenda est (3). Hinc ab Innoc. XI. damnata est sequens pro-

(1) Negandum est, in hisce adiunctis ullam opinioni probabilitatem superesse. Ex dictis enim (sup. n. 54.) nulla superest pro libertate probabilitas, ubi contra legem certa militet. Atqui sic se res habet in casu. Certa siquidem lex est, me non posse alteri inferre iniuriam; atque adeo certa lex est, me teneri ad praecavendum probabile damni alterius periculum, cum iniuriam sit, alteri probabile periculum damni adducere. Ergo quoties ex actione mea probabile periculum alteri imminet, actio est manifeste illicita, utpote certae legi adversa.

(2) Exinde si incertus sis, an baptizatus fueris, aut si prudenter dubites, an gravia peccata tua rite per confessionem expiata fuerint; teneris ad iustificationis gratiam opportunis mediis quaerendam.

(3) Gravissimam hanc iuris naturae obligationem violant, quotquot ad aliud examen forte se ineptos putantes, tamen fatentur in Ecclesia catholica salutem obtineri posse; sed eam interim amplecti negligunt, quod et in propria secta salvari se posse opinentur. Grave enim eis dubium iniicere id saltem potest et debet, quod contra propriae salutis opinionem

positio sub n. 4.: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili* (4). — S. Lig. n. 43.

2<sup>o</sup> Venator timens, ne plumbum in feram ei aculando aliquem hominem forte laedat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimaret abesse periculum; hoc enim, si forte adsit, probabilitate contraria, etsi maiori, removeri non potest.

3<sup>o</sup> Medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora, quae hic et nunc haberi possunt, adhibenda; quia tacito contractu ad finem securius obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt. Idem pariter dicendum de omnibus aliis, qui erga proximum aliquam eiusmodi obligationem contraxerunt (5). — S. Lig. n. 44.

4<sup>o</sup> Minister Sacramenti, ubi de eius valore agitur, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia, vel urgeat casus necessitatis, tutiorem partem, in quantum potest, relicta minus tuta probabili, vel etiam probabiliori, sequi tenetur; ratio, quia aliter exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est propositio ab Innoc. XI. sub n. 1.: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* — S. Lig. n. 48.

Dixi, 1<sup>o</sup> *nisi defectus suppleatur ab Ecclesia*; aliquando enim Ecclesia potest et censetur id supplere, quod desideratur ad valorem Sacramenti: quod quidem in duobus sacramentis potest contingere, scilicet in sacramento Poenitentiae, si ex gravi ratione cum iurisdictione dubia conferatur, aut cum iurisdictione probabili, et in sacramento Matrimonii, quando celebretur cum dubio impedimento iuris ecclesiastici, aut etiam sit dubia delegatio Sacerdotis assistentis, ut loco suo dicitur. — S. Lig. n. 50.

Dixi, 2<sup>o</sup> *nisi urgeat casus necessitatis*: quia cum Sacramenta sint propter homines, homini in gravi periculo vitae constituto ministranda ea

habeant catholicorum omnium sententiam; atque adeo non potest eos latere obligatio aut diligentius de re inquirendi, aut certe tutiorem partem eligendi.

(4) Cave tamen, ne hinc concludas, quempiam, cum de fide agitur, obligari ad adhaerendum opinioni, licet probabiliori. Nam ab eodem Innocentio XI. proscripta est sententia (Prop. 21.) quod *assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stet cum notitia solum probabili revelationis, et cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus.*

Id unum ergo ex quarta illa prop. damnata concludes, infidelem illum *non excusari*, si ductus opinione probabili tranquille maneat in sua secta; gravi enim deesset obligationi adhibendi sollicitate ea media, quibus ad veritatem pertingat.

(5) Ita iudex tenetur sententiam ferre iuxta rationes probabiliores. Qua de re habes Prop. 2. damnatam ab Innoc. XI.: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

sunt meliori, quo fieri potest, modo etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de eorum valore. — S. Lig. n. 49. et alii communiter.

## SECUNDA THESIS.

*Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiore.*

58. — *Prob.* Nam opinio tenuiter probabilis, ut dictum est, levibus innititur motivis, quae assensum viri prudentis attrahere nequeunt; unde ex iis suaderi non potest, legis existentiam esse incertam. Atqui illicitum est sequi opinionem aliquam, relicta tutiore, nisi lex dici possit invincibiliter ignorata; ignorata autem censeri non potest lex, nisi eam incertam esse solidis rationibus probetur. Ergo...

Constat etiam ex prop. 3<sup>a</sup> ab Innoc. XI. damnata: *Generatim dum probabilitate intrinseca, seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus* (6).

## TERTIA THESIS.

*Licet sequi opinionem probabilissimam, et etiam probabiliorem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agitur.*

59. — *Prob.* 1<sup>o</sup> *Quoad probabilissimam.* Constat 1<sup>o</sup> ex damnatione propositionis *Sinnichii*, quae est tertia ex XXXI. ab Alexandro VIII. proscriptis et est eiusmodi: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo licet sequi opinionem saltem *probabilissimam*. Aliunde autem in hac propositione damnata agitur de probabilissima

(6) Aliud vitium praemissae propositioni inest, propter quod damnari potuit, quia nempe dum *semper*, atque adeo in omni casu affirmat licitum usum probabilitatis, eos etiam casus comprehendit, in quibus lex certa id vetat, ut dictum est ad praec. thesim nn. 56. 57. Verumtamen si cum plerisque recentioribus nomine *tenuis probabilitatis* eam intelligas, quae par non est ad prudentem assensum elicendum, ideoque nec prudens dubium iniicere potest de legis existentia; damnabilis erit propositio etiam propter rationem in textu allatam. Falsam hanc opinionem Dominicus Viva (*In Prop. III. damn.*

*ab Innoc. XI, n. 1.*) affinxit Tamburinio, Bressero et Amico; sed ex mera indiligentia. Nam 1<sup>o</sup> Tamburinius (*In Dec. lib. 4. cap. 3. §. III. n. 11.*) expresse cavet, ne probabilitas alterius propositionis tanta sit, ut oppositam a probabilitate deiciat, et sic intellectus prudenter assentiri nequeat. 2<sup>o</sup> Bresserus (*De Consc. lib. 3. cap. 6. n. 77.*) de opinione disserit, pro qua ratio *magni* momenti militet. 3<sup>o</sup> Denique Amicus (*Theol. sch. tom. 3. disp. 15. sect. 3. n. 49.*) non de *tenui probabilitate* loquitur, sed de *tenui assensu*, quem adscribit opinioni probabili probabiliorem contra se habenti.

*minus tuta*, cum nemo unquam negaverit, licere sequi probabilissimam *tutiores*. Ergo. — Constat 2<sup>o</sup> ex eo, quod iuxta S. Ligor. et alios, ubi datur opinio *probabilissima*, opposita propositio evadit *tenuiter probabilis*, ut dictum est supra (n. 52.) in definitione opinionis probabilissimae. Non concipitur enim, quo modo stare possit solida ratio ex una parte, si ex altera gravissimum appareat fundamentum aliter sentiendi. Stante igitur opinione *probabilissima*, errandi formido levissima superest, et proinde sin minus certitudo absoluta, habetur saltem aliqua lata certitudo moralis de legis non existentia. Ergo, etc...

*Prob.* 2<sup>o</sup> *Quoad probabiliorem.* Illud ut verum admittendum est, in quo omnes theologi conveniunt; non potest enim supponi theologos omnes unanimi consensu in errorem incidisse. Porro si rigoristas paucissimos excipias, omnes turmatim in hanc doctrinam admittendam conveniunt, saltem si agatur de opinione vere probabiliori.

Caeterum si intrinsecam huius sententiae rationem exquirere velis, alia solida non videtur afferri posse praeter eam, qua probari consuevit sequens propositio de licitate usus *moderati probabilismi*, scilicet legem, si forte adsit, esse prorsus ignoratam, et proinde eam obligare non posse.

## QUARTA THESIS.

*Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore aequae probabili, vel etiam vere probabiliori, ubi de solo licito, vel illicito agitur* (7).

Haec propositio triplici argumentorum genere demonstrari potest, scilicet 1<sup>o</sup> ex ratione; 2<sup>o</sup> ex auctoritate; 3<sup>o</sup> ex consecrariis, quae ex opposita sententia profluunt.

(7) Ita et S. Alphonsus, qui (*Dissert. iuxta Edit. Neap. an. 1755.*) postquam ad *ambiguitates*, ut inquit (n. 1.), et *aequivocationes* vitandas praemisit hanc *probabilioris* opinionis definitionem: *Probabilior est ea, quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria sit etiam vere probabilis, seu graviter verisimilis, licet minus; dein* (*ibid. n. 3.*) scribit: *Ultimam benigniorem et communissimam (sententiam) probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in*

*concurso probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum.* De qua thesi deinde (*ibid. n. 52.*) hoc profert iudicium: *Nostra sententia, nempe quod liceat sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, est longe probabilior, sive probabilissima, imo moraliter seu lato modo certa. Id patet ex argumentis supra expositis... Haec argumenta singula quidem valent moralem certitudinem nostrae sententiae ostendere; tanto magis simul coniuncta. Cf. Opus th. mor. v. 1. tr. 2. nn. 122. seqq.*

## I. Argumentum ex ratione.

60. — Ex ratione argui sic potest: Nulla est obligatio, nisi de ea certo constet; atqui non constat de obligatione servandae legis, contra quam militat vera et solida probabilitas. Ergo nulla est obligatio sequendi partem tutiorem, relicta opinione vere probabili; ergo licet sequi opinionem vere probabilem, relicta tutiore, etiam probabiliore.

I. MAIOR PROBATUR EX NECESSITATE cognitionis ad obligationem. Etenim ille non est obligatus, qui invincibiliter ignorat se esse obligatum. Atqui in hypothesi invincibiliter ignoro, me esse obligatum. Ergo non possum vere et proprie iudicare me obligatione adstrictum; ergo revera non sum obligatus.

61. — Propositio confirmatur ex doctrina S. Thomae. Sic enim ipse in quaest. disp. de Veritate, quaest. 17. art. 3.: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti... Eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia, cum praeceptum non liget nisi per virtutem scientiae.* Unde sic: Nemo ligatur, nisi virtute scientiae; atqui, ex S. Thoma, ligari virtute scientiae perinde est ac certam habere obligationem. Ergo nemo ligatur, nisi ipsa certa sit sua obligatio. — Et hoc quidem argumento maxime utitur S. Lig. Mor. system. §. II.

62. — II. MINOR PROBATUR, nempe non constat de obligatione servandae legis probabiliter non existentis. Etenim ex hypothesi, lex est incerta, cum supponatur contra eam vera et solida probabilitas; ergo etiam obligatio ex ea subsequens est incerta. Non enim potest dari maior gradus certitudinis in obligatione, quam in lege ex qua procedit; secus certum oriretur ex incerto. Ergo.

Confirmatur. Obligatio certa, utpote effectus legis, supponit causam seu legem certam. Si enim effectus posset esse certus, quin causa esset certa, effectus existere posset sine causa; quod repugnat. Ergo non est certa obligatio, ubi lex est incerta, seu probabiliter non existens. Ergo.

63. — Nec dicas, quod, deficiente lege directe certa, existat alia lex indirecte certa, pariens obligationem certam. Nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest.

1° Non lex vitandi periculum peccandi. Etenim 1° retorqueri potest obiectio in probabilioristas ipsos; siquidem, supposita huiusmodi lege, iam ne solide probabiliorum quidem sequi reiecta tutiore liceret, quia etiam tunc adesset tale periculum. — 2° Illa lex non posset certo existere, et proinde me certo obligare, nisi in quantum esset revera periculum peccandi formaliter in violatione legis directae, quae probabiliter

non existit; porro nullum est periculum peccandi formaliter, siquidem illa lex directa, utpote incerta, nullam parit obligationem certam, ut ex dictis patet. Ergo si forte existit lex illa prorsus incerta, dabitur tantum violatio materialis legis: ergo nullum aderit peccatum.

2° Neque lex tutius sequendi. Etenim 1° si fingeretur talis lex, valeret etiam contra adversarios, et nos deduceret in tutorismum proscriptum in damnatione propositionis Sinnichii: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* 2° Illa lex tutius sequendi supponeret, non esse simpliciter tutum posthabere legem probabiliter non existentem: porro hoc falsum est, ubi agitur de solo licito vel illicito. Nam satis tutum est vitare peccatum et peccati periculum. Porro vitatur peccatum et periculum peccati non adimplendo legem directam probabiliter non existentem, ut supra dictum est. Ergo.

## II. Argumentum ex auctoritate.

64. — Ex variis capitibus constat, scilicet

1° Ex communiore auctorum per plura saecula consensu. Ex quo enim orta est disputatio de probabilismo, nempe a medio saeculo decimo sexto, innumeri confestim ex omni natione, statu, conditione, et ex omnibus Religiosis Ordinibus auctores patrocinium eius susceperunt, e quibus non pauci doctrinae fama insignes elucent, uti Suarez, Cardinalis de Lugo, Lessius, Eusebius Amort, Bonacina, etc. et recentioribus temporibus S. Alphonsus de Ligorio. Quod si nonnulli in tanta Doctorum multitudine probabilismi limites nimis extendisse forte videantur (8), huiusmodi sane periculum praecaveamus, limites tamen veri probabilismi retinentes, scilicet non admittendo opinionem ut probabilem, nisi solido fundamento innitatur, seu nisi solidae rationes pro ea militent, prout plerique omnes etiam ante S. Ligorium probabilismum intellexerunt (9).

(8) Cave tamen, ne putes, laxas, quae reici debuerunt, opiniones probabilismo (prout quidam aut imprudenter aut etiam fraudulenter subintulerunt) ceu propriae earum scatebrae generatim deberi. Et levi sane negotio ex iis Auctoribus, qui ceu probabilioristae venditari solent, prolixus afferri posset catalogus earum laxitatum, quarum exemplum e probabilistarum libris nemo proferre adhuc potuit.

(9) Atque ita de opinione, quae gravi fundamento, sive intrinseco sive extrinseco, innitatur, intelligenda sunt quaedam

veterum DD. effata, quae refert S. Antoninus (Sum. part. I. tit. 3. cap. 10. §. 10.). Postquam enim praemisit, esse contrarias opiniones inter Doctores sanctitate et scientia maximos in materia morali aliquando etiam ad salutem necessaria, idque probavit exemplo S. Thomae, qui tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub praecepto habita copia confessoris, cum tamen Hugo de S. Victore et S. Bonaventura sint in hoc contrariae opinionis: neutram autem